

bá tur pedes e- jus, et unguén- to ungé-  
bat. Cant. Magní- ficat. e u ó u a e.

PER OCTAVAM S. MARIAE MAGDALENÆ.

Ad Memoriam Antiphona In diébus illis., ut supra;  
V. Optimam partem. et Oratio Largíre nobis., ut in  
j. Vesperis Festi.

DIE XXIII. JULII.

B. JOANNÆ URBEVETANÆ VIRG. ORD. PRÆD.  
DUPLEX.

Oratio.

DEUS, qui beátæ Joánnæ Vírginis tuæ puritátem ex-  
ímiam et férvidam caritátem donis cælestibus cumu-  
lásti : fac nos ita ejus æmulári virtútes ⁊ ut castitáte vitæ,  
ac puris semper tibi placeámus afféctibus : Per.

In j. Vesp. Memoria S. Liborii Episcopi et Confessoris.

Oratio.

DA, quæsumus omnípotens Deus : ut beáti Libórii Con-  
fessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas ⁊  
et devotiónem nobis áugeat et salútem : Per.

DIE XXIV. JULII.

S. CAMILLI DE LELLIS CONFESSORIS.

DUPLEX.

Oratio.

DEUS, qui beátum Camíllum, ad animárum in extrémo  
agóne luctántium subsídium, singulári caritátis præ-  
rogatíva decorásti ⁊ ejus, quæsumus, méritis spíritum nobis  
tuæ dilectiónis infúnde : ut in hora éxitus nostri hostem  
víncere ⁊ et ad cælestem mereámur corónam pervenire :  
Per.